

1  
B

Tractatus brevis domini Bonaventure de modo se preparandi ad celebrandum missam.

**D** honorem gloriose ac individue trinitatis et excellentissimi sacramenti scilicet corporis et sanguinis preciosi Jesu christi describam tibi formam per quam poteris leuiter manuduci ad contemplationem tanti misterii: ac congrue disponi ad eius preceptionem. Quam non raptim strepitu verborum legere. sed eius sensum efficaciter cordi imprimere debes. ex intimo affectu singula queque vel in toto vel in parte put sonant solcite ruminare.

**P**rimo accedendo ad mensam celestis conuiuii iuxta apostolum: proba te ipsum. et diligenter examina: cum quanta fide et quanta caritate. in quali proposito: et propter quid accedis. *2. 3. 4. Quattuor q. consideranda.*  
Attende igitur hec quattuor singula per se.

Quam fidem debet habere sacerdos circa veritatem et essentiam huius sanctissimi sacramenti.

**S**itur primo vide quam fidem debes habere circa hoc sacramentum. Credere enim firmiter debes: et nullatenus dubitare secundum quod docet fides catholica quod in hora expressionis verborum christi: panis materialis et visibilis adueniente mirifico et celesti pane velut creatori honorem deferens. locus suum scilicet visibilem speciem accidentium per ministerio: ac sacramentali seruitio relinquit/quo desinente esse: miro et ineffabili modo in eodem instanti ista sub illis accidentibus peraciter existunt. **P**rimo illa purissima christi caro: et sacrum corpus. quod fabricante spiritu sancto: fuit tractum de vtero gloriose virginis marie: appensum in cruce: positum in sepulchro et glorificatum in celo. **S**ecundo quod caro non vivit sine sanguine. ideo et necessarius est ille sanguis preciosus: qui feliciter emanauit in cruce pro mundi salute. **T**ercio cum non sit verus homo absque anima rationali: propterea est ibi illa anima christi gloriosa: excedens in gratia et gloria omnem virtutem gloriam et potestatem: in qua repositi sunt omnes thesauri diuine sapientie. **Q**uarto quod christus est verus deus et verus homo. ideo consequenter ibi est deus in sua maiestate gloriosus. **H**ec  
A. i.

788

S. P. e. a.